



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

I. Donatio Ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**



FORMVLAE  
VETERES  
SECVDVM  
LEGEM RO-  
MANAM.

I. DONATIO ECCLESIAE.

**M**VNDI terminum adpropinquantem ruinis crebrescentibus, iam certa signa manifestant. Idcirco ego in Dei nomine ille, considerans grauitudinem peccatorum meorum, & reminiscens bonitatem Dei dicentem, Date eleemosynam & omnia munda fient vobis.

ITEM ALIO MODO.

**S**I aliquid de rebus nostris, locis sanctorum, vel in substantia pau-

perum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribui confidimus. Ego quidem de tanta misericordia, & pietate Domini confisus, per hanc epistolam donationis, dono donatumque in perpetuum esse volo ad Basilicam S. Martini, vbi ipse pretioso corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem cōsistenti, cui venerabilis vir ille Abas præesse videtur, villam iuris mei nuncupātem illam, sitam illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, suisque adiacentiis, sicut à me præsentis tempore videtur esse possessum, totum & ad integrum de iure meo, in vestrum vel S. Martini, iure proprietario trado, atque transfundo. Ea vero ratione, vt

quamdiu aduixero, sub vsu beneficij vestri, absque vlllo preiudicio, vel diminutione aliqua prædictas res tenere & vsurpare debeam: & post meum quoq; discessum, quicquid in iam dicta villa, vel in finibus suis additum, adtractum, emelioratum, repertumq; fuerit, & transitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supraposito, rectores ipsius Ecclesiæ, agentésque illius, absque vllius expectata traditione, vel iudicum cõsignatione, in nostra cleemosyna, vel substãtia monachorum ibidem vitam degentium, Christo protegente, tanquam si ad presens, absque vsu nostro eorum fuisset obsecuta possessio, in eorum faciant reuocare potestatem vel dominationem: Ita vt quicquid exinde pro oportunitate monasterij facere decreuerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem.

Et si fuerit vlla quælibet persona, quæ præter istum alterum instrumentum exinde præsentauerit, aut antèrius, aut posterius, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane permaneat. Auctorem vero criminis, vel falsarium iudiciaria potestas condemnet. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc donationem aliquid refragare, vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. quingentos componat, & hæc donatio cum stipulatione subnixa inlibata permaneat.

## II. MANDATVM.

**M**agnifico fratri illi, ego ille, filius illius, rogo, supplico, atque tuæ charitati iniungo, vt ad vi-